



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Homine Spirituali

**Walenburch, Adrian van
Walenburch, Peter van**

Antverpiae, 1666

16. Consid. Spiritualibus promittitur resurrectio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10007

apertè discrepat ab Ecclesiæ doctrina & disciplina ; jam se prodit spiritus erroris.

CONSIDERATIO XVI.

Spiritualibus promittitur resurrectio.

1. **I**nter bona homini spirituali expectanda, meritò numeratur resurrectio: de qua dicit Apostolus: (a) *Quod si spiritus ejus, qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.* Ecce fundatur articulus, de beata mortuorum resurrectione, in communionem ejusdem spiritus, inter Christum & fideles. Si enim Christus in morte non mansit, fieri non potest, ut fideles in morte maneant, qui eundem habent spiritum sibi inhabitantem.

2. *Cum*

(a) *Rom. 8. 11.*

2. Cum omnes homines ad resurrectionem sint perventuri, habent hoc præ reliquis fideles, quòd ad vitam resurgent: & hoc est, quod Apostolus monet: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* Mortui fideles dicuntur esse in Christo: quia sicut vita fidelium, est vita Christi in fidelibus; ità mors fidelium, est mors Christi in fidelibus, & mors fidelium in Christo. Fideles ergò morientes in Christo, resurgent primi; quia, ut ità dicam, gratià ipsis existente resurrectione, ad tantam fælicitatem magno desiderio festinabunt: Deo eorum desiderium promovente, qui & excitat.

3. (a) Sed audiamus Magistrum Ecclesiæ, primam & secundam resurrectionem sic explicantem, ut respondeat primæ & secundæ saluti, de qua non semel Apostolus tractat:

Adjun-

(a) S. Aug. *de civit. Dei. lib. 20. cap. 6. Tom. 5. col. 1340. C.*

Adjungit; Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Nondum de sancta resurrectione, id est corporum, loquitur, quæ in fine futura est, sed de prima, quæ nunc est. Hanc enim ut distingueret, ait: Venit hora & nunc est. Non autem ista corporum, sed animarum est. Habet enim & anima mortem suam in impietate atque peccatis. Secundum quam mortem mortui sunt, de quibus idem Dominus ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos: ut scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent. Propter istos ergo impietate & iniquitate in anima mortuos: Venit, inquit, hora, & nunc est, quando mortui audiunt vocem Filij Dei: & qui audierint, vivent. Qui audierint,

dierint, dixit, qui obedierint, qui crediderint, & usque ad finem perseveraverint. Nec fecit hîc ullam differentiam bonorum & malorum. Omnibus enim bonum est audire vocem ejus & vivere, & ad viam pietatis ex impietatis morte transire. De qua morte ait Apostolus: Ergò omnes mortui sunt, & pro nobis mortuus est unus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto: sive in originalibus, sive etiam voluntate additis: vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est: & pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus: id est, nullum habens omninò peccatum: ut qui per remissionem peccatorum vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro omnibus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justifi-

E ficatio.

ficationem nostram; ut credentes in eum, qui justificat impium, ex impietate justificati ad primam resurrectionem, quæ nunc est, pertinere possimus.

4. Sed redeamus ad futuram resurrectionem. Pij fidei desiderantes beatam resurrectionem, desiderant etiam adventum Domini. Et ideo dicit Apostolus *rogamus vos fratres, per adventum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum.* Perpendit adventum Domini nostri Iesu Christi, tanquam rem fidelibus & spiritualibus amabilem; & hinc illos rogat per adventum Domini, qui licet impijs sit horribilis; non potest tamen pijs non esse acceptus; propter adventum nostræ congregationis in Dominum nostrum Iesum Christum; cui hinc assimilamur in tribulationibus multis: nam (b) omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu: persecutionem

(a) 2. Thess. 2. 1. (b) 2. Tim. 3. 12.

secutionem patientur: sed in ultimo ejus adventu, liberati ab adversitatibus, congregabimur in Christo Iesu ad beatam immortalitatem, (a) secundum promissionem vitæ quæ est in Christo Iesu.

CONSIDERATIO XVII.

Desolatio Spiritus Dei in filiis Dei.

1. **S**ingulari modo describit Apostolus solatium filiorum Dei, per Spiritum Dei: (b) *Quicumque spiritu Dei aguntur: ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

2. Filij Dei non aguntur à Spiritu Dei, velut saxa: non aguntur ut

E 2

bruta

(a) 2. Tim. 1. 1. (b) Rom. 8. 14.